

salutis defensionem aliquam suscipiendam ex Dei et nostra parte requireret et hortaretur quamquam quid hortatione iam opus est? frustra enim hortando et movendo iam biennium consumimus, nec quemquam nisi clade accepta crediturum videmus; alius fidem parem habet, minus timet alius alius se a periculo remotissimum alius postremum in periculo arbitratur: ergo hostes christiani ad oppugnandam fidem Christi consentiunt, fideles Christi ad defendendum consentire non possunt, nihilque nos nec Dei respectus nec comunis salutis et honoris ratio permovet; subdamus igitur colla iugo et pro Christo Mahometem recipiamus quando inter nos ipsos acres scilicet ac validi adversus Dei hostem torpemus quod quanto cum dolore, filii, dicamus non possumus verbis exprimere, cum temporibus nostris christianam virtutem urgere si quando antea pietatem aut plus quam unquam alias refluxisse videamus, itaque et si operam perdidimus hactenus non tamen silebit nostra vox ad extremum usque interitum testesque et has et alias complures litteras habebimus nos nostrum in hoc officium numquam praetermississe. Domine tu scis iustitiam tuam non abscondi veritatem tuam salutare tuum; dixi quid aliud agere potuimus quam quod egimus omnes privatas rationes publicis, post habuimus nostras clades et iniurias Deo condonavimus, cunctas opes vires auctoritatem nostram obtulimus et ad salutem christiani populi conferimus ne vitae quidem nostrae *parentes* unquam sumus dum in comune aliquid consulamus. Te igitur, fili carissime, quod et cum ceteris principibus egimus ex pastoralis officio et persona animo monemus, hortamur, obtestamur et rogamus ut tuo officio honori pietatique satisfactione comunem defensionem in qua et tua includitur pro tuo virili suscipias et quoniam dies abit nec iam consultatione sed factis opus est ut quantuncumque opis in comune conferendum duxeris quam primum conferas; celeritate enim opus est ea quae permagna si modo salvi esse volumus, hostis enim totum biennium in apparatus consumpsit. Nos toties ab eo excitati in Rhodo, in Belgrado, in Hongaria, in Viena adhuc obdormimus; quam ob rem nisi ad comune incendium extinguendum cito accurrimus omnia ad certissimum interitum prolabantur. Recordare igitur, filii, maiorum tuorum pro fide Christi gesta quibus tu in gloria et pietate non modo successisti verum etiam anteisti si quidem romanam ecclesiam olim adversus schismaticos armis deinde quum fidem catholicam contra hereticos scriptis tutatus es fi-

deique defensoris titulum omnibus humanis titulis illustriorem promeruisti; nunc non solum ecclesiae et sanctae fidei sed cunctae prorsus christianitatis et tui etiam regni defensio suscipienda a te cum ceteris est; si illam gloriam tam appetisti, appete nunc hanc longe maiorem quamquam non iam de gloria sed de salute certamus, is tamen est hostis qui totius Europae dominatum conceperit animo quique arabibus, syriis, egyptiis ad suam ditionem adiunctis pari iugo servitutis universam christianitatem subdere conetur, itaque si Italiam quod veremur et horremus occupaverit nequaquam is temperabit a reliquis sed more validi ignis primis quibusque correptis ad ulteriora pervadit primi itaque aditus obstruendi prima repagula obicienda; his enim refractis hostem intra viscera acceptum egre repellere poterimus nullaque tam remota regio aut angulus tam abditus miserae, christianitatis erit qui a comuni exitio et clade immunis ad postremum sit futurus. Quod si fili vel tutissimum tibi regnum viae longiquitas terrae interiacentes mare circumfusum praestarent an tu christianus rex christianis opem contra christianorum hostes denegabis solusque proprium officium comunem rempublicam deseres non est pietatis nec magnitudinis tuae ut putemus te Deo et Sanctae fidei comunique saluti deesse aut publica causa per humanos affectus annotari unum posse. Novimus enim tui animi celsitudinem, religionem, probitatem, ac nos quidem hoc quod petimus eo iustius a te et ceteris impetrare meremur, quod non privatis comodis aut honori nostro proprio cui tamen tua Serenitas ut speramus non deesset sed Dei honore christiane fidei periculis omnium fidelium arcendis opem tuam et illorum imploramus vestris etiam regis privatim profuturam. Quamobrem si pia haec tam nostra postulatio non dicimus a te a quo nihil non te dignum expectamus sed ab aliis quibuscumque proprii officii et salutis oblitis contemnetur, tibi nos apostolica voce denunciamus vindicem Dei iram ad cuius tribunal universi qui effundetur christiani sanguinis se sciant esse futuros nos quidem ipsi omnis culpa nos expertes Deo et hominibus probabimus; nihil enim quod in nobis fuit praetermissimus, denunciavimus periculum ostendimus, remedium imploravimus omnium virtutem et pietatem nec monendo, nec hortando, nec rogando unquam defuimus neque in posterum sumus defuturi omnibusque tandem frustra tentatis, ea etiam non praetermittemus remedia quae predecessores nostri in tale casu pro Dei honore et comuni salute adhibere